

lijs simile, nec rugosis, colore ruffo. Secunda bonitas pallido. Herbacei peius, pessimūq; cādidum, quod & netustate euenit. Pretiū unā in libras x.lx. friato vero amomo xlviij. Nascitur et in Armenia parte, quae uocatur Otenae, et in Media, & in Pōto. Adulteratur folijs Punicis, & gummi liquido ut cohareat, conuoluatq; se in unā modū. Est & quae uocatur amomis, minus uenosa atq; durior, ac minus odorata: quo apparet, aut aliud esse, aut colligi imaturum. Simile his et noīe & frutice cardamomum, semine oblongo. Metitur eodem modo et in Arabia. Quatuor eius genera. Viridissimū ac pingue acutis angulis cōtumax fricati quod maxime laudatur. Proximū ē ruffo candicans. Tertiū breuius atq; nigrius. Peius tamē uariū et facile tritu, odorisq; parui, qui uerus, costo uicinus esse debet. hoc & apud Medos nascitur. Pretiū optimi in libras xij. Cinnamomo proxima gētilitas erat, ni prius Arabia diuitias indicari cōueniret, causasq; quae cognomē illi felicitis ac beatā dedere. Principalia ergo in illa thus, & myrrha: haec et cū Troglodytis cōmunis.

De thure & arboribus. CAP. XIII.

Thura p̄ter Arabiā nullis, ac ne Arabia quidē uniuersa. In medio eius fere sunt Atramita pagus Sabaeorū capite regni Sabota, in monte excelso, a quo octo mansionibus distat regio eorū thurifera. Saba appellatur, quod significare Graeci mysterium dicunt: spectat ortus solis aestiui, undiq; rupibus innia, & à dextera maris scopulis inaccessa. Id solum ē rubro lacteum traditur. Syluarū longitudo est schænorū xx. latitudo dimidiū eius. Schænus patet Eratosthenis ratione, stadia xl. hoc est, pass. quinq; M. alii qui xxxij. stadia singulis schænis dedere. Attolluntur colles alti, decurruntq; & in plana arbores sponte natae. Terram argillosam esse conuenit, raris fontibus ac nitrosis. Attingunt & Minæi pagus alius, per quos euehitur uno tramite angusto. Hi primi commercium thuris fecere, maximeq; exercent: à quibus et Minæū dictū ē. Nec p̄terea Arabū alij thuris arbore uidēt, ac ne horū quidem oēs. Ferūtq; M M M. non amplius esse familiarum, q̄ ius per successiōes id sibi vindicēt. Sacros uocari ob id, nec ullo congressu fœminarum fueruntq; cum incidant eas arbores aut metāt, pollui: atq; ita religione merces augeri. Quidā promiscuum ius ijs populis esse tradunt in syluis, alij per uices annorū diuidi. Nec arboris ipsius quae sit facies cōstat. Res in Arabia gessimus, & Romana arma in magnā partem eius penetrauerunt: C. etiam Caesar Augusti filius inde gloriam petijt, nec tamen ab ullo (quod equidem sciam) Latino arborū earum tradita est facies. Graecorum exempla variant. Alij folio piri, minore duntaxat, & herbidi coloris prodidere. Alij lentisco similem subrutilo folio: Quidam therebinthum esse, & hoc uisum Antigono regi allato frutice. Iuba rex n̄s uoluminibus quae scripsit ad C. Caesarem Augusti filium ardentem fama Arabiae, tradit contorti esse caudicis, ramis aceris maxime Pontici. Succū amygdala modo emittere, talesq; in Carmania apparere, & in Aegypto satas studio Ptolemaeorum regnantium. Cortice lauri esse constat: quidam & folium simile dixere. Talis certe fuit arbor Sardibus. Nam et Asia reges serendi curam habuerunt. Qui mea etate legati ex Arabia uenerunt, omnia incertiora fecerunt, quod iure miremur, uirgis etiam thuris ad nos commeantibus: quibus credi potest, matrem quoque teretem enodi fruticare trunco. Meti semel anno solebat, minore occasione uendendi. Iam quæstus alteram uindemiam affert. Prior atq; naturalis uindemia circa canis ortum flagrantissimo aestu incidentibus quae maxime uideatur esse prægnans, tenuissimusque tendi cortex. Laxatur hic plaga, non adimitur. Inde profilit spuma pinguis. Hæc concreta densatur, ubi loci natura poscat tegete palmea excipiente, aliubi area circumspauita. Purius illo modo, sed hoc ponderosius. Quod in arbore haesit, ferro depectitur, ideo corticosum. Sylua diuisa certis portionibus, mutua innocentia tuta est. Nec ullus saucias arbores custodit. Nemo furatur alteri. At hercule Alexandria ubi thura interpolantur, nulla satis custodit diligentia officinas. Subligaria signantur opifici. Persona adicitur capiti, densusue reticulus. Nudi emittuntur. Tantominus fidei apud nos pœna, q̄ apud illos syluae habent. Autumno legitur ex aestiui partu. Hoc purissimum candidum. Secunda uindemia est ueres, ad eam hyeme corticibus incisis. Ruffum hoc exit, nec comparandum priori. Illud carpheotum, hoc dathiathum uocant. Creditur & nouella arboris cādidius, sed ueteris odoratus. Quidam & in insulis melius putant gigni. Iuba in insulis negat nasci. Quod ex eo rotunditate guttae pependit, masculum uocamus, cum alias non feremas uocetur, ubi non sit femina. Religioni tributum ne sexus alter usurparetur. Masculum aliqui putāt à specie testiu dictū. Præcipua autē gratia est māmoso, cū hærente lacryma priore consecuta alia miscuit se. Singula hæc manum implere solita inuenio, cū minore diripiendi auaritate lentius nasci liceret. Graeci stagoniam & atomum tali modo appellāt, minore autē Orobiām. Micas concussu elisas mannam uocamus. Etiamnum tamē inueniuntur guttae, q̄ tertiam partem minæ, hoc est xxxix. denariorū pondus æquent. Alexandro magno in pueritia sine parsimonia thura ingerenti aris, pedagogus Leonides dixerat, ut illo modo cum deuicisset thuriferas gentes supplicaret. At ille Arabia potitus, thure onustam nauim misit ei, exhortatus, ut large deos adoraret. Thus collectū Sabotam camelis cōuehitur, porta ad id una patēte. Digredi uia capitale leges fecere. Ibi decimas deo, quem uocant Sabin, mensura nō pōdere sacerdotes capiūt. Nec ante mercari licet. Inde impēsæ publicæ tolerantur. Nam & benigne certo itinerū numero deus hospites pascit. Euehi non potest, nisi per Gebanitas, itaque & horum regi penditur uectigal. Caput eorum Thonna abest à Gaza nostri littoris Iudææ oppida

lxxx.